



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Undecimus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



MODUS VNDECIMVS.

**A**D Allegoriam imperfectam, hic quoque refertur: sed præter Allegoriam, habet aliquid ex inventione Poëtica: quod tamen grave debet esse omnino ac liberale, & Christiana apprehensione dignum. Habet usum, potissimum in Panegyricis orationibus: cum in laudem alicujus, eriguntur columnæ Pyramides, arcus triumphales, altaria monumenta, tituli: quod idem in vitiorum reprehensione fit, repræsentando supplicia, Carceres, tormenta conscientiæ, &c. Hoc modo uti posses die Palmarum, dicendo, Optare te aliquâ particulâ accedere ad applausum Triumphantis Christi, & ideo tria minimum lemmata triumpho tanto adjicere. Primû supra Civitatē, inscribendo: *Regi animorû*: Neque enim in tam humili ingressu, talem plausum mereri potuit, nisi animis imperasset. Secundû supra palmas, & ramos, in ingressu fractos. *victorum perfidiæ*. Respiciendo ad illud D. Leonis. *Adhuc palmas frangit*. Tertiû supra lapides, qui clamassent, si alii tacerent: *Deo cognito*. Alludendo ad illam inscriptionem simulachri Actor, 17. Ignoto Deo. Similiter, hoc modo, in vituperium vitii uti posses Dominica 13. à Pentec, in illud Lucæ 13. Novē autem ubi sunt? dicendo, morem hunc receptum esse pluribus regnis, ut si fortè, rei læsæ Majestatis, aut alterius criminis conscii, manus judicum effugere tentent: imagines eorum per urbes proponantur: quatenus, ex earum expressione cogniti; magi-

stratui tradantur. Ecce non unus, sed novem scelesti, se Christo subtraxere. Ecce palam requiruntur; ubi sunt? ne itaq; necessariam diligentiam eludant, imaginem vobis, eorum proponam, ut agnitos ad Christum redire compellatis. Sequi deinde deberet ingratorum hominum descriptio, & veluti quædam pictura: vultus dejecti, oculorum palpitantium, aurium surdescentium, memoriæ perfidæ, iudicii stulti, Cordis vesani &c.

*P R A X I S.*

In Festo Immaculatè conceptæ Deiparæ Virginis, de qua natus est JESUS.

Matth. 1.

**A**ccessus est propositio. Triumphale hodie festum agimus, Triumphat enim, innocentia de peccato; triumphat gratia de natura, triumphat Christus in matre sua de communi generis humani hoste: venit igitur in mentem mos vetus majorum nostrorum, vexilla, in Capitoliis & templis, in signum triumphi, appendere solitorum. Hunc imitabor, & triplex vexillum, Rubrum, Album, Nigrum coram vobis præsentabo ac appendam singula designabunt, Immaculatè conceptæ VIRGINIS triumphos, singulisque inscribetur ingens hoc maximi Privilegii compendium. *De qua natus est JESVS.*

Primum vexillum, esto *Rubrum*: rubens scilicet, sanguine Christi, esse cujus meritis, D. VIRGO est à peccato originali præservata *sine sanguinis effusione, non fit remissio*, insonat tuba Cæli Paulus ad Hebr. c. 2. non solum mortalium, sed neque venialium; quæ heu! obliti sanguinei remedii, verissimè ad-

ad-

admittimus: neq; originalis, à quo Deiparam liberam esse, Ildefonsi sensu affirmamus: cujus verba contra disputatores de Virginitate *MARIÆ* sunt *Totum, quicquid in MARIÆ fuit, possedit Spiritus Sanctus. Quoniam virtus Altissimi obumbravit eam. Quod si virtus Altissimi, obumbravit in conceptu, & in partu: sicut ab omni estu libidinis libera fuit, ita ab omni pressura maledictionis: non ex sese, sed ex virtute Altissimi. Quapropter cogitent isti disputatores: naturarum Leges, cogitent & divinarum rerum virtutem: quia non ex natura rerum, divina Leges pendent, sed ex Divinis Legibus, natura rerum, & leges, manare probantur. Jos. 6. Ruente Jericho; Rahab, sub signo purpureo, tuta duravit: personante inter totius vulgi gemitus, & mortes; triumphali Josue edicto. *Sola Rahab vivat. Oppresso, ab hostibus sævissimis genere humano, per originale crimen: inter omnium mortalium sævissima exitia, MARIA sub signis meritorum, & sanguinis Christi, libera à peccato fuit: edicente magno JESU, sola MARIA vivat. Hoc sponsus cælestis in illa suspiciens, Cant. 5. Comæ ejus, purpura Regis. Quid comæ nisi principis ut rerum, ita vitæ, juxta Patres significant, quid palmæ & purpura Regis nisi palmares triumphos Marianæ Conceptionis, per Sanguinem Christi ejusq; purpuram obtentos denotent? O nostram extremam gestatem! quorum vitæ principia, gratia Dei spoliata, turpem exprobrant cum nuditate paupertatem *MARIÆ VIRGINIS* Conceptio, longe opulentissima Purpura Regis est. Appendatur igitur triumphale vexillum, ad decus immaculatae**

latae

lata Conceptionis Virgineæ: inscribaturq; rubenti ejus purpuræ, *de qua natus est IESVS*, ut omnes intelligant: non naturæ dono, nec meritorum priorum virtute, sed meritis JESU Christi ejusque Sanguinis, Virginem, à peccato præservatam.

Secundum vexillum, esto *Candidum* seu *album*, typus pulchritudinis & candoris animæ illius felicissimæ ab omni peccato liberæ Æternitati satian-  
dæ, hoc spectaculum sufficit: interea cum Ansel. exclamare par est. *O Benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos superas pietate.* Cum Salomon dedicasset templum 3. Reg. 3. nebula implevit templum Domini, quem locum expendens D. Dami. Orat. 2. de Nativitate Beatæ VIRGINIS MARIE: atq; cum illo Psal. 18. in Sole posuit tabernaculum suum conferens, si ait. *Ad illud templum Salomonis, Dominus in nebula descendit: ut communẽ Judaicæ infidelitatis, designaret caliginẽ in hoc, scilicet S. MARIA, in Sole posuit tabernaculum suum, ut sedentes in tenebris, & in umbra mortis illuminaret.* Templum Dei, nos quoq; esse Paul. 1. ad Corinth. 3, affirmat. In hoc templum, nunquam descendit Dominus, nisi caligine umbræ mortis, id est peccati originalis præcedente; in Templum Marianum descensurus, *in sole posuit tabernaculum suum.* Sol Maria semper fuit, & quia sol, semper luxit: adeoq; in ipsa conceptione. Ut lumen solis, sole ipso non tempore, sed naturâ posterius est: ita lumen gratiæ de MARIA, non post tempus Conceptionis, sed in ipsa conceptione emicuit: quamvis naturâ prius, sub debito originali constitutam, cogitare

gitare

gitare aliquis possit. Erigatur igitur secundum vexillum innocentie & sanctitatis candidum, inscribaturq; illi. *De qua natus est IESVS*. Hæc nimirum præcipua ratio hujus tantæ sanctitatis, & immaculatæ integritatis est, dignitas maternitatis. *Quidenim vitæ in ejus mente, vel corpore, potuit sibi vendicare locum, quæ ad instar Celi, plenitudinis totius Divinitatis, meruit esse sacrarium?* ait Dam. Ser. 3. de Nati. Gravis nota tantæ dignitatis, egere velo oculorum, audireq; durum illud Gen. 20. *memento te deprehensam.* Imò decebat ut ea puritate, quæ major sub Deo nequit intelligi. *VIRGO* illa niteret, loquor cum D. Ansel. de Conceptione: *Cui Deus Pater, unicum Filium suum quem de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat: ut naturaliter, esset unus idemq; communis DEI Patris, & VIRGINIS FILIUS: & quam ipse Filius substantialiter, facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, ut conciperetur, & nasceretur ille: de quo procedebat, hæc est, qui natus est de MARIA VIRGINE IESVS.*

Tertium vexillum, esto *Nigrum*: Ferale triumphatis hodie hostibus, fortunatum autem, nobis signum; Vetulinus Tyrannus Autore Bineto, organa ex ossibus hostium cælorum struxerat: quibus inscripsit. *Salus Regum, mors hostium.* Similis nobis cantio, tot millibus annorum occinebatur, eratque saltus Dæmonum, mors hominum: donec hodierna dies illuxit, quæ innocentiam & vitam, generi humano in D. Virgine restituta, fatalem hostibus intulit noctem. Hanc dum nigro vexillo
   
 signa-

signamus, revocare libet factum Olgierdi magni  
 Ducis LITUANIÆ qui Moschorum metropoli  
 armis occupata, vexillum LITUANIÆ in ipso Ca-  
 pitolio Moschoviæ defigi, in perpetuum triumphii  
 monumentum voluit. Quid ni ex similitudine hu-  
 manarum rerum arguamus? in ipso capitolio, adeo-  
 que corde inferni, vexillum triumphatricis inno-  
 centiæ fixum, quando juxta Psal. 63. *Sagitta parvulorum*  
*id est infantum, facta sunt plaga eorum id est*  
*Dæmonum & confirmata est contra eos virtus eorum,*  
 virtus utique, tot sæculis trepidata, hodiernæ  
 lucis momento, elisa. Ipse certè DEUS, ac Domi-  
 nus noster, de hac victoria triumphare, atque ad  
 spectaculum nos invitare videtur Psal. 45. *Vacate*  
*& videte, quoniam ego sum DEVS, exaltabor in*  
*gentibus, & exaltabor in terra.* Materia hujus invi-  
 tationis est præmissa. *Arcum conteret, & confringet*  
*arma, & scuta comburet igni:* Arcus de longe sagit-  
 tat: arma cominus feriunt: scutum hostem tuetur:  
 O vanam omnem inimici in Maria Virgine auda-  
 ciam! in cujus conceptione, arcus hostium conte-  
 runtur, quia originali labe tanquam sagitta eminus  
 missa, VIRGO MARIA, non tangitur: arma con-  
 fringuntur, quia in ipsa conceptione, in gratia con-  
 firmata, actualiter peccare non potest: scuta igni  
 comburuntur: quia rationes; naturalis originis,  
 filix Adam, humanæ Conditionis, Divina excep-  
 ptione, & liberalitate suppleantur: quod quidem il-  
 lâ voce significatur, *quoniam ego sum DEVS,* cui  
 scilicet, natura paret. Erigatur igitur hoc quoque  
 vexillum eique inscribatur, de qua natus est DEUS

ut significetur VIRGINIS excellentia, in qua tam gloriosè triumphat de hostibus communibus, D. Noster JESUS Christus: utque amatores JESU, & MARIÆ: piè exultando, glorientur cum Davide Psalm. 19. *In Nomine Domini nostri magnificabimur*, aut ex lectione Hæbreæ juxta Genebr. & Arriam *in Nomine, Domini nostri, vexilla erigemus.*



MODUS DUODECIMUS,

Symbolum aliquod grave ac magnificentum, figura item, aut Hieroglyphicon assumitur, & oratione tota tractatur: Porro tractandi modus, currit per explicationem Symboli, & per applicationem illius, ad rem symbolizatam: secundum partes, effectus, causas, & similia, ut ex simbolo figurave, doceamur, quid sentiendum sit, de re symbolizata, figurata, &c. Unde conciones imperfectæ, quæ orationi, lemna aliquod, aut picturam præfigunt: de quibus in decursu Orationis, aut nihil, aut vix verbum adferunt, per symbolum formatæ dici non possunt. Sunt ergo tantum oblectamenta ingenii, aut oculorum, non verò Cibus Orationis. Exemplum præcepti nostri posset aliquis formare die S. Thomæ Aquinatis ad illud Evangelii Matth. 5. *Vos estis Lux mundi*, dando id gloriæ D. Doctori, quod sit Lux, & quidem, nō minor quæpiam; sed Lux solis  
illud